

TRACTATUS XVI.

DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT I.

DE MATERIA, FORMA ET EFFECTIBUS EXTREMAE UNCTIONIS.

416. I. Materia remota hujus sacramenti est *oleum ab episcopo benedictum*. (Trid. Sess. 14. de Extr. Unct. c. 1)

Quaenam ad *valorem sacramenti* ex parte materiae remotae requirantur, patebit e sequentibus animadversionibus :

1º Solum oleum olivarum valide adhiberi posse, elucet e perpetua traditione Ecclesiae. Ideo Eugenius IV (Decr. pro Armenis) materiam hujus sacramenti dicit *oleum olivae*. (1)

2º Ex eadem traditione constat necessarium esse ut oleum ab episcopo benedictum fuerit. Jam 13 Jan. 1655 Paulus V contrariam propositionem *temerariam et errori proximam* declaravit, (Coll. P. F. n. 1146) Atque 15 Maii 1878 S. Inqu. respondit : "Oleum a presbytero benedictum est materia prorsus inepta sacramento extremae unctionis confiendo : et ne in extrema quidem necessitate valide potest adhiberi." (Coll. P. F. n. 2176) Attamen simplex presbyter ex concessione R. P. valide hanc benedictionem peragere posset : et constat ex usu Ecclesiae graecae, in qua, probante S. Sede, extremam unctionem conferre solent presbyteri oleo a se benedicto. (Bened. XIV, de Syn. l. 8. c. 1. n. 4)

3º Controvertitur utrum ad *valorem* requiratur oleum benedictum ab episcopo in ordine ad extremam *unctionem*, an sufficiat oleum in ordine ad alios usus ab eodem *benedictum*. (S. Alph. n. 709) Quare in necessitate, deficiente oleo infirmorum, licet sub condicione conferre sacramentum cum oleo catechumenorum vel s. chrismate ; si vero postea haberi possit oleum infirmorum, repetendum est sacramentum. Ut defectus iste praecaveatur, monet Rit. Rom. (tit. V. c. 1. n. 3) : "Si forte

(1) Cavendum diligenter a falsificationibus olei olivarum. Ipsum S. Officium 9 Juli 1881 jussit S. C. de Prop. Fide ut, data occasione, moneret episcopos ut in hac materia sacramenti comparanda a fraudibus caverent. (Coll. P. F. n. 2161)

infra annum aliquo modo ita deficiat (oleum infirmorum) ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minore quantitate superinfuso, reparari potest. „ Idem, urgente necessitate, plures fieri potest, etiamsi quantitas addita collectim sumpta supereret quantitatem ab episcopo benedictam, dummodo singulis vicibus minor sit quantitas addita quam quae remanet. (S. Alph. n. 708)

Ut materia remota sit *licita*, praeterea necesse est ut oleum fuerit eodem anno benedictum, et quidem ab episcopo dioecesano vel, sede vacante, ab episcopo vicino. Ut enim jubet Rit. Rom. (l. c.) : "Singulis annis Feria V^a in Coena Domini (oleum infirmorum) ab episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est." Communiter existimant Theol. graviter peccare presbyterum qui, extra casum necessitatis, adhiberet oleum vetus vel ab alio episcopo consecratum. (S. Alph. n. 708; Ball. P. n. 11)

Nulla determinata quantitas olei ad valorem vel liceitatem requiri videtur. (S. Alph. n. 709) Attamen quidam AA. negant sufficere unam stillam olei : quia ungere est proprie oleum per partes diffundere. Quare tutius est et certe sufficit intingere in oleo extremam pollicis partem ad singulas unctiones speciales, quae sub repetita forma fiunt. (Gury, II. n. 681)

417. II. Materia proxima extremae unctionis est *unctio infirmi*. Id manifeste elucet ex. Jac. V, 14 : "Ungentes eum oleo" et universa traditione. Qualis unctionio ad valorem simul et ad liceitatem requiratur, colliges ex sequentibus :

1º Ad liceitatem certe sub gravi requiritur ut, saltem extra casum necessitatis, inungantur quinque corporis partes quas, veluti sensuum instrumenta, homini natura tribuit, nempe oculi, aures, nares, os et manus. Insuper ungendi sunt pedes et renes : sed renum unctionio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur, atque eliam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. (Rit. Rom. l. c. n. 15) De unctione renum respondit S. Inqu. 28 Aug. 1889 (Coll. P. F. n. 2177) : eam numquam praetermitti posse, nisi in casibus particularibus, adhibitis cautelis, decentiae satis consuli aliter nequeat. Attamen etiam recentissimi AA. (D'Annib. III. n. 414) docent omitti posse unctionem pedum et renum si ita fert usus loci, ut in multis regionibus, ex. gr. in Belgio, pro unctione renum obtinet.

2º Quinque sensum unctiones ad valorem sacramenti requiri, communior sententia tenet. Intrinsece tamen probabilius opinamur valere extremam unctionem, si vel una tantum corporis pars inungatur sub forma universalis, omnes sensus complectente. Id enim concludendum

videtur e magna varietate quae circa numerum et locum unctionum olim in Ecclesia, tum latina, tum graeca, viguit. Ita Graeci antiquiores tres tantum unctiones faciebant; recentiores vero unctionem frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus et pedes. (Bened. XIV, de Syn. l. 8. c. 3. n. 3) In praxi, ob alterius sententiae probabilitatem et certum Ecclesiae praeceptum, graviter peccaret qui, extra casum necessitatis, unum e quinque sensibus ungere praetermitteret. In casu necessitatis, ubi mors instat vel contagio timetur, licet unam tantum unctionem sub condicione perageré: quae potissimum in capite tamquam omnium sensuum centro, facienda videtur. Ob minorem etiam causam, ex. gr. quia infirmus nequit in alterum latus verti, licebit omittere unius oculi, auris, etc., unctionem: quia geminae partis unctione certe ad valorem sacramenti non spectat. Si infirmus, imminente morte, in una tantum corporis parte inunctus, supervivat, iterum in omnibus sensibus inungatur, quatenus id commode fieri potest, nisi brevi post primam unctionem in aliquo sensuum organo factam, ceterae fieri possent (S. Alph. n. 710): probabile enim est nonnisi quinque unctionibus moraliter unitis conferri gratiam sacramentalem; hanc vero moralem unionem impediret longum intervallum inter primam et sequentes unctiones.

3º Unctiones, ex Ecclesiae praescripto, non autem ex necessitate sacramenti, faciendae sunt: a) Pollice, non autem alio dito vel penicillo aut stylo; horum usum, etiam ubi vigebat consuetudo, tollendum esse, extra casum necessitatis, respondit S. C. R. 9 Maii 1857. (Coll. S. R. u. 3051) — b) In modum crucis. — c) Servato ordine sensuum praescripto. — d) Pro membris geminis incipiendo a dextro. Haec tamen et alia quaedam minoris momenti, quae in Rit. Rom. servanda praescribuntur, non videntur urgere sub gravi. Plures (S. Alph. n. 710) grave reputant invertere ordinem sensuum: quia esset contra Ecclesiae usum in re notabili. Rectius alii (Ball. P. n. 19) talen inversionem, nisi fiat ex contemptu ecclesiasticae consuetudinis vel ut novus ritus inducatur, levem reputant, cum agatur de modo prorsus accidentaliter.

4º Si quis sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma. (Rit. Rom. l. c. n. 18)

418. III. Forma extremae unctionis in Ecclesia latina est solemnis precatio quam sacerdos ad singulas unctiones adhibet: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum, lumborum delectationem) deliquisti. Amen.* (Rit. Rom. l. c.) De qua forma heac pauca ad praxim sufficient:

1º In hac forma verba *sancitam, piissimam, amen* omittere leve est, cum certe ad essentiam non spectent, neque materiam notabilem prae-

cepti ecclesiastici efficiant. Idem quidam (Ball. P. n. 12) satis probabiliter existimant de omissione totius incisi *per suam piissimam misericordiam*: quam alii (S. Alph. n. 711) gravem reputant, sive ob paucorum veterum opinionem ea verba essentialia reputantium, sive ob notabilem violationem preecepit ecclesiastici.

2º Reliqua verba absque culpa gravi omittere non licet, quia vel certo vel probabiliter ad essentiam formae pertinent. Theoretice tamem probabilius censemus singulorum sensuum expressionem non esse essentiale, tum ob usum Ecclesiae graecae easdem non exprimentis, tum quia unam unctionem ad valorem sufficere opinamur. (II)

3º In casu necessitatis, ubi fit unica unctione, presbyter sequentem formam adhibere poterit: “*Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum.*” (S. Alph. n. 910)

419. IV. Effectus extremae unctionis sunt:

1º *Delere reliquias peccatorum*: quo nomine veniunt spiritualis debilitas quae ex peccatis in anima remanet, et debitum poenarum temporalium ex iisdem contractum. (S. Th. Suppl. q. 30. a. 1) Has reliquias delet extrema unctione remittendo partem poenae debitae, variae dispositioni subjecti proportionatam, et tribuendo auxilia quibus anima praeservetur a nocturno quod peccati fomes, habitus pravi, phantasmata periculosa, etc. eidem inferre possent. Hic effectus *primarius* est, ut patet ex ipsa significatione hujus sacramenti, quod secundum modum alicujus medicationis confertur. Eudem exprimit S. Jacobus (l. c.) his verbis: “alleviabit eum Dominus”, et Trid. (Sess. 14. de Extr. Unct. in proaemio): “Extremae unctionis sacramento (Christus) finem vitae, tamquam firmissimo quodam praesidio, munivit.”

2º *Remittere peccata* tum mortalia, tum venialia, dummodo eorumdem saltem attritio habeatur. (n. 270) Patet e verbis S. Jacobi (l. c.): “Et si in peccatis sit, remittentur ei.” Hic tamen effectus nonnisi *secundarius* et *condicionatus* est. Manet enim, etiam in articulo mortis, necessitas accusandi in confessione omnia peccata mortalia ut per hoc sacramentum directe remittantur; haec autem necessitas nulla foret, si aliud sacramentum primario ad peccatorum remissionem, in eodem articulo obtinendam, institutum esset. Quare extrema unctione per se supponit animam justificatam, et est sacramentum vivorum. (Ball. P. nn. 4 et 56)

3º *Sanitatem corporis restituere* “ubi saluti animae expedierit.” (Trid. l. c. c. 2) Ut enim scribit S. Jacobus (l. c.): “Oratio fidei salvabit infirmum.” Hic effectus, ut patet e cit. verbis Trid. et e praestantia salutis animae supra vitam temporalem, pendet a condicione: “si sani-

tas corporis saluti animae profutura est : „ qua condicione verificata, infallibiliter consequetur, vi promissionis divinae. Adverte tamen hanc sanationem non fieri per modum miraculi, sed per auxilia specialia quibus causae naturales vel liberae ad sanitatem infirmo restituendam dirigantur. Quare patet frustra hunc effectum sperari, quando infirmus jam solius miraculi ope sanari potest ; eos vero qui idem sacramentum usque ad hunc desperatum statum differunt, longe a mente instituentis aberrare.

CAPUT II.

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS.

420. I. Extremam unctionem **valide** confert omnis et solus presbyter. (Trid. Sess. 14. de Extr. Unct. can. 4) Nec valori obest quod simul a pluribus presbyteris **conferatur**, ut liquet e more in Ecclesia graeca recepto. Sed in Ecclesia latina grave esset, ob praecoptam ministri unitatem, **sacramentum** istud plures simul conficere, extra casum necessitatis, in quo **tamen** praestat ut unus unam unctionem peragat. (n. 417) Si quando sacerdos deficeret antequam quinque unctiones perfecisset, omnes **essent** sub condicione repetendae ab alio sacerdote qui tantum post **notabilem** moram, puta horae quadrantem, administrationem sacramenti **perficeret**: si vero nulla notabilis mora intercederet, rectius non **iterarentur** unctiones jam peractae. (S. Alph. n. 724)

II. Extremam unctionem **licite** administrat parochus vel Ordinarius loci, in quo jacet aegrotus; **deinde** presbyter qui ab alterutro licentiam accepit, vel eamdem rationabiliter praesumit, ex. gr. absente parocho. Igitur, si parochus nolit nec **dare** extremam unctionem, nec licentiam concedere, licebit eam **administrare** ex praesumpta licentia episcopi. (Ball. P. n. 33) Reliqui **presbyteri**, qui hoc sacramentum conferrent, gravis peccati rei fierent, quia **jus** parochi in re gravi laederent; immo religiosi idem praesumentes **censuram** incurruunt, de qua n. 604)

421. III. Circa ritum administranda extremae unctionis praincipue notanda sunt:

1º Graviter peccat qui, nulla necessitate coactus, eam administrat sine stola et sine superpelliceo. Cfr. n. 187.

2º Nullum peccatum censemus committi ab eo qui idem sacramentum conficit sine lumine accenso. Nam Rit. Rom. (t. V. c. 1.) videtur candelam

requirere tantum ut lumen deficiens suppleat, dum dicit : " Sacerdos... parari curet... ceream candelam quae deinde accensa *ungenti lumen praebeat* ". (Gury, II. n. 686)

3º Summum leviter peccat qui extremam unctionem confert sine ministrante. Ubi autem deficit ministrans masculus, nullatenus peccare videtur qui feminam ad respondendum admittat, ut fit in ipsa Missa: quamquam alii (Bus. ap. S. Alph. n. 724), sed sine sufficienti argomento, id leve peccatum reputant.

4º Graviter peccaret qui omnes preces quas Rit. Rom., a sacerdote recitari jubet, vel notabilem earum partem, extra casum necessitatis, omittiret. (n. 116, V) Merum autem consilium est ut adstantes, dum sacerdos inungit, recitent psalmos poenitentiales, litanias, etc.

5º Quamvis olim extrema unctionis tamquam poenitentiae complementum, ante Viaticum ministrari soleret, hodie, ex Ritu Rom., post Eucharistiam ministranda est. Hujus tamen ordinis inversio per se gravem culpam constituere non videtur. (Suar. de Euch. disp. 44. sect. 1)

IV. Sacerdos ex officio curam animarum exercens graviter peccat si subditum, qui extremam unctionem petit, inungere neglegit, vel eam differt cum probabili periculo ne sine unctione moriatur aeger, nisi justa causa excusat : quia in re gravi non praestat id ad quod tenetur ex justitia. (Bus. ap. S. Alph. n. 729) Numquam autem tenetur parochus idem sacramentum ministrare cum periculo vitae, ut dictum est n. 119, etiamsi moribundus confiteri non posset. Ratio est : neminem teneri ad succurrendum proximo, etiam in extrema necessitate spirituali positio, cum certo periculo vitae, nisi et spes proximum salvandi sit moraliter certa (Vol. I. n. 217); hic autem, si de homine peccatis mortalibus obnoxio agitur (ut supponendum est), non habebitur moralis certitudo de attritione quae ad remissionem peccati per extremam unctionem obtinendam necessaria est. (Ball. P. n. 45).

Sacerdotes qui **curam animarum non exercent ex officio**, deficiente parocho, tenentur per se sub levi administrare extremam unctionem, si facile id praestare possunt; per accidens sub gravi tenentur, vid. si eam, absque gravi incommodo, ministrare possunt infirmo, qui verisimiliter gravi peccato obnoxius sit et confessionem instituere nequeat. (S. Alph. n. 729) Nam, licet talis moribundus sub condicione absolvit (n. 300), valor tamen hujus absolutionis est valde dubius, ac proinde videtur caritas exigere ut muniatur extrema unctione, quam cum certo obtinere potest gravium peccatorum veniam, modo interne de iis doleat.

V. Oleum infirmorum loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo seu stanneo, diligenter **custodiendum** est. (Rit. Rom. l. c. n. 3) Is locus

regulariter in ecclesia vel sacristia esse debet. Attamen, ubi domus parochi multum ab ecclesia distat, licet s. oleum domi servare in loco decenti et tuto, ut respondit S. C. R. 16 Dec. 1826. (Coll. S. R. n. 2650) Idem ergo ad tempus licebit, durante alia causa rationabili, puta quo citius noctu ad infirmum accurri possit. (Ball. P. n. 48)

CAPUT III.

DE SUBJECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

422. I. Extrema unctione nec licite, nec valide conferri potest, nisi iis in quibus concurrunt sequentes **condiciones**:

1º Ut sint *baptizati*. (n. 127, V)

2º Ut *actualia peccata* committere potuerint: iis enim qui nulla hujusmodi peccata commiserint, non congruit hujus sacramenti forma. Quare illicite et invalide conferretur infantibus et amentibus a nativitate. In dubio de usu rationis conferendum est sub condicione. (S. Alph. n. 719)

3º Ut sint *infirmi*. Liquet ex verbis S. Jacobi (l. c.): "Infirmatur quis in vobis." Igitur non sufficit ut quis in periculo mortis versetur et etiam Viaticum recipere possit, ex. gr. mox capite plectendus; sed necesse est ut istud periculum oriatur ex infirmitate corporis, vid. ex morbo vel ex causa quae morbo aequiparari soleat, puta ex vulnere, partu difficulti, senectute. Hinc sequitur perperam conferri extremam unctionem iis qui periculosam operationem chirurgicam subituri sint, nisi jam antea ex infirmitate periclitentur. (D'Annib. III. n. 417, nota 18)

4º Ut de eorum morte timeatur. (Eugen. IV in Decr. pro Armenis) Is timor procul dubio intellegendus est qui sit rationabilis seu gravi motivo nixus: talis autem non erit si dubium mere negativum concipietur, sed si *probabiliter* judicabitur, sive a medico, sive ab alio experientia edocto, periculum mortis e praesenti morbo imminere. Hoc igitur judicium requiritur et sufficit, ut extrema unctione conferri possit: ac sane optandum et conandum est, ut, nisi specialis ratio differendi obstet, majus et certius periculum non exspectetur. Attamen, ut advertit S. Alph. (n. 714), hic easus in quo dari *potest* extrema unctione probe secernendus est ab eo in quo dari *debet*. Is autem contingit quando jam moraliter certum est mortem infirmo imminere. Sic. Trid. (Sess. 14. de Extr. Unct. c. 3), loquens de obligatione hujus sacramenti administrandi, indicat eos quibus jam differri nequeat, simul innuens esse *alios* quibus dari possit: "Declaratur

etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero *praesertim* qui tam periculose decumbunt ut in exitu vitae constituti videantur. „ Numquam autem exspectandum est ultimum tempus vitae, quo aegrotus, jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat: id enim prorsus contrarium est naturae hujus sacramenti, siquidem jam sanitati corporis recuperandae non proderit (n. 419), spirituales vero fructus multo minores producet quam si homo sui compos illud recepisset. Propterea censet S. Alph. (l. c.) graviter peccare parochos, qui extremum hoc tempus exspectant antequam infirmum inungant: quod praesertim verum erit de iis qui saepius nectant culpabilem moram, ex qua certe fiet ut plures absque hoc sacramento moriantur. In iis vero qui tantum ex pietate vel caritate tenentur curare ut aegroti inungantur. haec dilatio gravis erit, non tam ratione extremae unctionis, quam ratione poenitentiae et Viatici, quae plerumque in praxi cum ea simul conferuntur aut omittuntur: nam, cum ipse aegrotus non teneatur sub gravi extremam unctionem accipere (n. 424), non videntur alii ex caritate vel pietate graviter obligati ad eam ipsi, et quidem tempore opportuno, procurandam.

Evidenter extrema unctione dari nequit ei qui jam mortuus sit. Sed cavendum ne nimis festinanter pronuntietur infirmum jam animam exhalasse. Etenim difficile est, praesertim iis qui in arte medica imperiti sunt, certo agnoscere num jam exspiraverit qui brevi antea adhuc signa vitae edebat et in quo proinde nondum apparet rigor cadavericus vel initium putredinis: quae sola videntur medicis (Capellm. p. 182 seqq.) prorsus certa mortis signa. Ita apprensus cessatio functionum cerebri vel respirationis suspensio quandoque non impedit quominus vita remaneat; neque omnis errandi formido abest medicis dum auscultatione praecordiali videntur sibi percipere quemlibet cordis motum cessasse. (Béclard, op. cit II. p. 729) Quare, ubi non est timendum contemptus sacramentorum in adstantibus, praestabit inungere eum qui brevi antea exspirasse videntur, potissimum si nullus medicus mortuum esse testatus fuerit.

Nullatenus in subjecto extremae unctionis requiritur, ut jam S. Communionem receperit: haec enim perfectiore discretionem hodie postulat (n. 211); quicumque vero poenitentiam recipere possunt, etiam, capaces sunt extremae unctionis, quae nihil aliud est quam poenitentiae complementum. Quare consuetudo eam denegandi pueris, tamquam abusus, extirpanda est. (Bened. XIV, de Syn. l. 8. c. 6. n. 2) (1)

(1) In locis Missionum notandum S. C. de Prop. F. 20. Febr. 1801 (Coll. P. F. n. 1156) „ Affirmative „ respondisse huic quæsito: "Quandoque missionarii obvium habent quemdam phtisi aliove morbo laborantem qui, duce experientia,